



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

71. Beatus Albertus à Ramstein.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11463

BEATVS ALBER-
TVS à RAMSTEIN.

Anno
Christi
1646.

Basileensis Episcopus.

LXXI.

ANno 1646. 26. Novembris, electione Canonica rite suffectus antecessori defuncto est Beatus Albertus in Beinvveylensi, ut dictum supra, Monasterio. Natus is erat 14. Iulij, anno 1549. in Sundgoia castro VValtickoffen, ex nobili & per-
vetusta Ramsteiniorum familia, ex qua trecentis abhinc annis Immerius Baro LIV. Episcopus Basileensem rexit Ecclesiam. Hic vero Beatus Albertus, absolutis Bruntruti politionum literarum, ac Romae in Collegio Germanico Philosophiae Theologiaeque studiis, in patriam reversus, insigni cum morum & doctrinae commendatione, anno circiter 1620.

inter

Anno
Chris, 16
1645.

inter Cathedralis Ecclesiæ Vormatiensis Canonicos cooptatus, aliquot deinde annis Vicarij Generalis Officio, eâ diligentia & fervore perfunctus est, ut inter lustrandam Dioccesin, ætati teneræ frequentius Catechesin & primæ fidei Rudimenta, raro sanè exemplo, tradidisse perhibeatur. Post annos aliquam multos inter belli turbulentos motus, Basileensis Ecclesiæ Canonicus, exinde Custos, denique Caput evadit. Quam honoris delationem, hæud sibi convenire affirmabat vir demissionis studiosissimus, suamque luculentis deprehensam indicis vitæ brevitatem novis usque gravem fore molestiis, ob repetendam mox sui successoris electionem. Et quia imminētis sibi mortis non vanus erat vates, annatarum pecuniam impetrandæ Romæ suæ confirmationi destinatam, in usus meliores

im-

impendingam asseruari voluit aliquamdiu, dum saltem melior illius potiundæ, se daret occasio. Anno 1651. ipsis Calendis Maij, in Episcopum consecratus est, triennio antè sacerdotio initiatus, quod hæctenus differre graves ob causas oportuit. Adeptus Principis sacri sublimem adeo potestatem, præter aliorum morem, sigillo peculiari abstinuit, eo quod, aiebat ille, mortem vicinam præsentiens, nullius sigilli usus necessarius foret, post signatum mortis impendentis decretum.

Anno
Christi
1646.

Ingravescente postmodum Bruntruti morbo, quantus esset in virtutum cultu, nimis quàm manifesta exhibuit specimina. Anteaactæ vitæ errata, si quibus adhuc necdum solutis obnoxius esset, calentissimâ animi pœnitudine detestatus, palàm insuper protestatus est, si quid verborum vis morbi Christiano homine,
ne

Anno
Christi
1546.

ne dicam, sacro Principe indignum extorqueret, præter mentem id suam fore, vellétque fiducia erectum animum, divinis prorsus conformem nutibus ad ultimum vitæ anhelitum constanter retinere. Et quamvis protrahendæ vitæ nullo teneretur desiderio, paratus erat tamen, si Deo ita gratum foret, gravissimos quibus afficiebatur, cruciatus, usq; ad ipsum mundi excidum patienter tolerare, à terrenarum rerum affectu immodico adeo alienus, ut earum fieri mentionem, sub ultimos vitæ dies non sustinuerit, privatorum, de quibus ipsi disponere integrum erat, bonorum partitione relictâ consanguineis; quibus tamen animorum coniunctionem impensè commendaret. Morti Cœloque jam proximum de mundi quisquiliis nihil sollicitum tenebat, multisque jam antè fatigatum curis, ut æris alieni pondus

dus

us ab Episcopatu removeret; quem Anno
Chr. st.
1646. in finem, moderatissimo sumptu vitam sustentare assueverat, sed nulli magis, quam sibi parcus.

Biduo ante mortem, se jam in fatali articulo versari ratus, contentiori nonnihil voce quinquagesimū Davidis psalmum protulerat. Monitus abesse periculum, veniam deprecatus est molestiæ, quam suis dedisset clamoribus. Quæ animi demissio de se abiectissimè sentientis admirationi fuit. Indignum se aiebat Episcopi officio, & morte forsan ideo maturatâ hinc evocari, quòd incautiùs admittere non veritus esset, tantum onus, id à se amoliri certus, si vitæ longiori usurâ frui liceret. Insomnis propè jacuit semestri, & tamen nulli famulorū molestus pressâ morbi violentiâ per ferream patientiam, ne tædio esset, & de nocte suis quietem abrumperet.

Aliquot

Anno
Christi
1546.

Aliquot ante obitum hebdomadis, festis & Dominicis diebus singulis, Angelico pane reficiebatur, rem divinam ipse quotidiebus conficere solitus, quamdiu passa est virium tenuitas. Sacro inunctus oleo, die S. Laurentij, peroptabat ex hac mortali in meliorem migrare vitam die Virgini matri in Cœlum receptæ sacræ, voti sui pietatem novo gravissimorum cruciatuum accessu redimere paratus. Prorogatâ ultra votum vitæ fatiscere cœperunt vires 25. Augusti, divinôque viatico ad iter Cœleste præmunitus inter virtutum heroicos actus, & ferventes ad Deum precatiunculas, Christi è cruce pendentis imaginem arctè complexus est, animi in Divinum amorem colliquescens affectu, quo potuit contentissimo, ac tum, post cereum petitum suæ ad Deum fidei accensæ symbolum, loquendi usu destitutus

stitutus, suppositâ capiti sinistrâ, placidum mortis somnum obdormiit, Anno Christi 1651. cùm quatuor, non amplius, annis, & mensibus novem, Cathedræ Basileensi præsedisset.

IOANNES FRAN-
CISCVS à SCHÖNAVV. 1651

Basileensis Episcopus.
LXXII.

HOc ipso, quo Antecessor obiit, Anno 1651. die 18. Septembris, à Cathedralium Basileensium Canonorum Collegio, Delemonti oppido Diœcesano, more legitimo, in Episcopalem sedem successus est Ioannes Franciscus, ex pervetusta Schônovviansium Nobilium familia oriundus. Fuit is à prima ætate bonis moribus ac litteris in scholis Patrum Societatis, Bruntruti, Friburgi Helvetiorum, & Lucernæ (dum bella

Dd in